mea quæ cladi ſuperfuerant, cùm mecum deferre non poſſem, Græcio Oenipontem Tyrolis amandata ſunt, ſecundo demum Rheno in Belgium deferenda, ſed cùm impeditæ ſemper eſſent viæ, variíque bellorum caſus omnem Rheni tractum quotannis exciperent, neque manifeſto periculo exponenda iudicarentur, decennium totum ea expectare neceſſe fuit: donec tandem non ſine magnis impenſis, magnaque amicorum curâ, ſummo meo gaudio, decimum poſt annum, Gandauum delata ſunt, eaque ſcriptorum meorum ſunt reliquiæ, quæ mihi materiam huius operis præbuerunt. Quo nomine quantum quidem debeam, imò omnes qui hiſce rebus delectabuntur, R. P. Roderico de Arriaga, qui tantum mihi beneficium inopinatò præſtitit, ego ſcio: omnia enim ferè exciderant quæ illis chartis fueram complexus; quis enim omnium iam ſenex recordetur quæ à triginta & quod excedit annis, fuerit commentatus? præſertim cùm breuiſſimè ſingula & quaſi per compendium digeſſiſſem. Gratias itaque ago maximas bono Patri amiciſſimo meo; & hoc ſaltem alicuius gratiæ loco rependo, extare me velle publicè aliquod debiti mei monumentum, publicamque teſtificationem beneficij priuatim quidem impenſi, ſed ex quo, publico etiam Geometriæ bono, niſi mea me fallat ſententia, vtilitas emanabit.

Atque hæc ſunt quæ tecum, Lector beneuole, more meo, id eſt candidè communicanda ducebam. Interim ſi quid in operis decurſu minùs expolitum occurrerit, id ſanè feſtinationi nimiæ adſcribas velim; cùm enim rurſus morbi mei Pragæ contracti vires recrudeſcerent, ſenemque iam defectis viribus oppreſſuræ nonnumquam viderentur, Superiorum iuſſu, quorum nutus etiam, non imperia tantùm obſeruo, conquiſitis vndique auxiliis, hoc quale nunc vides opus effudi dicam, an concinnaui? antequam mors ſubita, expectata tamen ſemper, fœtum hunc opprimeret. Mihi ſanè rebuſque meis parum eſſe laborandum cenſebam ego; ſed cùm in eorum manibus ego ſim, qui cogere poſſint, malui qualecunque hoc opus publici iuris facere, quàm refragari minimo etiam eorum nutui. Vti enim nos noſtri minimè ſumus, ita fœtus etiam ingenij non noſtri, minimè nobis arrogandi ſunt, quos Religioni obnoxios fecit profeſsio. Si quid tamen laude dignum fortaſſe duxeris, totum id Deo adſcriptum cupio, cuius honori & gloriæ laboraui toto vitæ meæ tempore; neque ſanè ſine ingenti admiratione, æterni, etiam in minimis, artificij: non enim eum ordinem, ſymmetriam, proportionem, quam in ſingulis ſuperficiebus corporibuſque demonſtramus, nos ipſi induſtriâ noſtrâ aut arte effingimus, ſed facta iam, & æternis legibus ita diſpoſita, felicitate aliquâ ingenij, aut, quod mihi contigiſſe profiteor, eius fauore qui omnia tam concinnè in partes ſuas diſtribuit, inuenimus, & inuenta demonſtramus.

Summa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 1, [20] - -
PUBLIC DOMAIN